



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

14. Quibus de caussis iudicium per aquas sit illicitum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

induxerunt; vt tantò plures falleret vanitas inaurata. Nam hac in probatione, aqua, apud Francos, his verbis consecratur. *Deus iudex justus, fortis, & patiens, qui es auctor & amator justitie, qui iudicas aequitatem: iudica, Domine, quod justum est, quia recta tua iudicia sunt, qui respicis super terram, & facis eam tremere. Tu, Domine, omnipotens, qui per aduentum Filij tui, Domini nostri Iesu Christi mundum saluasti: & per eius Passionem, genus humanum redemisti: Tu hanc aquam, per ignem feruentem sanctifica, qui tres pueros, id est, Sidrach, Misach, Abdenago, iussione regis Babylonis, missos in caminum ignis seruasti: Tu clementissimè presta, vt, si quis innocens in hanc aquam feruentem manum mittat, sicut tres pueros supra dictos, de camino ignis eripisti, & Susannam de falso crimine liberaisti, ita, Domine, manum illius saluam & illesam perducas. At si quis culpabilis, vel, in crassante diabolo, cor induratum, presumpserit manum mittere: tua iustissima pietas hoc declarare dignetur, vt in eius corpore, tua virtute, manifestetur, & anima illius, per penitentiam, saluetur.* Plures eiusmodi formulas ac orationes exhibet Martinus Delrio. Constat etiam, hanc, per feruentem aquam, aut lapilli ex ea extractionem, fieri solitam purgationem, receptam legibus Longobardorum, Saxonum, Frisorum, & Rhenanorum. In lege Lombard. *Si cuiuslibet hominem interfecerit, iudicio aquae feruentis examinetur, utrum hoc sponte, an se defendendo fecisset.* In legibus Frisonum hæc habentur: *Si res grandis erit, seruus ad iudicium Dei, in aqua feruente examinetur.* Item. *Et, ad examinationem feruentis aquae iudicio Dei probandus accedat.* Item. *Et se per sacramentum iudicio Dei examinandum, feruente aqua, innocentem ostendat.* Denique, in formula pacis Allatiæ habentur ista: *Plebeius autem, & minoris testimonij rusticus, aqua frigida se expurget iudicio.* Et audimus subinde, pertinaci traditione, ad hoc, vel illud aquæ iudicium seruos, & ancillas, aliasque nonnullas mulierculas, præfanè fidenter, prouocare: gnaras scilicet, id non permissum iri; alioqui utique non prouocaturas; sed nec permittendas, vt velint, culpæ, aut innocentia veritatem, fortuito aquæ aut ignis euentu decidendam permittere.

Et enim r. ipso nomine damnantur temerariæ eiusmodi disquisitiones. Vocantur enim *Purgationes vulgares*, quia nullo legitimo vsu, sed vulgi quadam duntaxat vsurpatione, & obseruatione superstitio-

Aucatin. l. 4.

Martin. Delrio 4. lib. Disquisit. 4. q. 4. sect. 4.

Lombard. l. 2. tit. 10. Hottoman. de Feud. c. 44. Sax. li. 1. art. 39. Leges Frison. tit. 3. & tit. 14. c. nobilis 2. q. 4. B. Rhean. l. 2. Germ. rer.

XIV.